I. N. I.

DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS

De

SVDORE ANGLICO,

INDVLTV ET DECRETO
ILLVSTRIS AC GRATIOSISSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ
IN FLORENTISSIMA VNIVERSITATE IENENSI,
SVB PRAESIDIO

GEORGII VVOLFFGANGI WEDELII,

HÆREDITARII IN Schwartza/
MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI,
CONSILIARII ET ARCHIATRI DVCALIS SAXONICI,
THEORETICES PROFESSORIS ORDINARII,
PRÆCEPTORIS ET PATRONI SVI OMNI PIETATIS CVLTV AD VRNAM VSQVE DEVENERANDI,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, PRIVILEGIA
ATQVE INSIGNIA DOCTORALIA,
MORE MAIORVM,
LEGITIME ET SOLENNITER IMPETRANDI,
PVBLICAE AC PLACIDAE ERVDITORVM CENSVRAE
SVBIECTA
ab

ERDMANNO LEVPOLDO,

SPREMBERGENSI LVSATO,
IN AVDITORIO MAIORI,
Horis ante - & Pomeridianis,
Ad Diem Sept. M DC XCVII.

IENÆ,
LITERIS KREBSIANIS.

SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DN. HENRICO,
DVCI SAXONIÆ, IVLIÆ, CLIVIÆ

MONTIVM, ANGRIÆ ET WESTPHALIÆ,
LANDGRAVIO THVRINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ,
VT ET
SVPERIORIS ET INFERIORIS LVSATIÆ,
COMITI MARCÆ ET RAVENSBVRGI,
DYNASTÆ IN RAVENSTEIN,

PIO, FELICI, AVGVSTO,

PRINCIPI AC DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,

SVBIECTISSIMA ET HVMILLIMA
DEVOTIONE

HANC DISSERTATIONEM OFFERT

ERDMANNVS LEVPOLDVS.

PRAEFAMEN.

ANtiqua est parœmia: Bello peracto machinam & auxilium afferre; q. d. absurdum esse vel frustraneum, de iis quæ præteriere philosophari, cum non entis nulla sint remedia, nec prædicata. Idem videri possumus agere, dum de sudore Anglico disserere animum induximus.

Quis enim est, qui hæc proficua vel non frustra dicta vel scripta putet, morbo velut extincto dudum, nunquam facile reversuro?

Atat pacis tempore de bello cogitare prudentis est imperatoris; medici vero, præparare se ad morbos quosvis malignos, & pestem ipsam, quæ eiusdem in hoc est commatis.

Nusquam sane maiorem gloriam consequi potest medicus, quam si ancipiti tali casu, in calamitate publica, bello DEI, vt quidam vocant, contra homines, (siquidem vbiuis gratia temperat iram,) operam suam locet.

Quare non moramur ista, sed vt dabilem morbum spectabimus potius, ne, si forte redeat, imparati offendamur, neque illud accidat, quod turpe in Duce bellico occurrit dicere: non putaram. Quod dum facimus, DEVM O. M. veneramur deuote, vt fauftiter omnia cedant.

CAPVT I.

De Historia morbi, & Definitione nominali.

NVllibi magis NOMINA videntur magis attendi debere, quam vbi nouæ rei de nouo imponi debent, quam nescias, antea nec visam, nec auditam. Idque tanto magis, si non substet æque, sed transitoria sit, vnde conceptus quasi sine re, vt ita loquamur, superest.

Contigit illud præcipue circa Sudorem Anglicum, ceu nouum emergentem morbum, ante duo hæc secula primitus cognitum, & in scholis medicis appellari cœptum, vnde nemo nobis vitio vertet, si & hic nomina, tanquam clauem, inuolucrum & notas rerum, quibus, vt nummis, in explicandis animi sensibus impressa est certa idea & valor, lustremus curatius. Aut potius cum res ipsæ prioritate gaudeant, nomina insequantur, imposita iisdem, consultum fuerit, occasionem nominis, adeoque rem ipsam delibare prius, quam vel de nomine simus solliciti.

Et postulat hoc omnino ipse ordo naturalis, si concipiamus veluti deperditum Sudorem Anglicum, hactenus vltra sesquiseculum non visum, vt HISTORIAM eiusdem præmittamus. Ita enim patebit vna, an operæ pretium sit occupari circa eundem, cum obiici alias quasi posse videatur, actum nos agere & supervacaneum. Fieri id commode poterit, si locum natalem, annum natiuitatis, morem, & ætatem, penitius exquiramus.

Primus & classicus Autor instar omnium eundem consignauit omnium optime illustris *Baco de Verulamio Histo-*

ria Regni Henrici VII. Angliæ Regis, p. m. 1002. Circa hoc tempus (anno 1485.) in autumno, versus finem Septembris, grassari cœpit tum in ipsa vrbe Londini, tum in aliis regni partibus, morbus quidam epidemicus, tunc temporis nouus; cui, ex natura & symptomatibus ejus, febris sudorificæ nomen indiderunt. Morbus iste breues sortitus est periodos, tam in morbi ipsius crisi, quam in tempore durationis ipsius: Quippe qui eodem correpti erant, si intra spatium viginti quatuor horarum non morerentur, securi fere & sine metu erant. At quoad spatium temporis, per quod malitia morbi durauit, incepit quidem circa vicesimum primum Septembris diem, cessauit autem sub finem Octobris sequentis.

Fuit iste morbus, pergit idem, febris pestilentis genus quoddam, neque tamen (vt videtur) in venis aut humoribus sedem occupans, cum non pustulæ, non purpureæ aut liuidæ maculæ sequantur, (massa scilicet corporis intacta) tantum malignus quidam vapor, & aura ad cor aduolauit, spiritusque vitales petebat & occupabat; vnde natura excitabatur ad eundem per sudores emittendum & exhalandum. Patuit autem per experientiam, quod morbus iste naturæ potius insidiator erat, eamque imparatam opprimebat, quam adversus remedia obstinatus, si in tempore subuentum foret. Etenim si ægrotus in æquali temperamento, quoad vestes & focum detentus esset, tepidumque bibisset & cordialia etiam temperata sumpsisset, vnde naturæ ipsius opus nec calore irritaretur, nec frigore repelleretur, plerumque sanitas sequebatur. Verum innumeri homines ex eo subito occubuerunt ante, quam curationis modus & regimen ægri innotesceret. Opinio erat, morbum istum neutiquam ex epidemiis illis, qui simul contagiosi sunt, & de corpore in corpus fluunt, fuisse, sed a malignitate quadam in ipso aëre, ex prædispositione

tempeſtatum & mutationibus cœli crebris & inſalubribus, impreſſa manaſſe, adeoque breuis eius mora hoc ipſum indicabat.

Erit hæc velut ſynopſis quædam dicendorum & regula, latius hinc tranſcribenda ſuo merito. Patet vero ex his velut publicis faſtis, non tam annum natalem fuiſſe 1486. vt fere omnes alii, ipſeque *Williſius* in *Editione Anglica* aſſignant, multo minus, vt in *operibus Wieri* (& *Belgica Williſii editione*) falſa typi expreſſione, 1586. ſeculo integro adiecto, vti apud eundem *Wierum* falſo itidem expreſſus eſt annus 1592. loco 1529. quod, ne quis error ſuperſit, monendum viſum fuit.

Vtut vero quadraginta fere annis in Anglia graſſata, ſcribatur a *Sennerto* hæc febris; videtur tamen id aſſeri citra fundamentum, & ea occaſione, quod annis quadraginta & amplius poſt circa annum 1529. repullulaverit, vlterius progreſſus. Idem dictum putauerimus de *Fracaſtorii l. 2. de morbis contagioſis c. 5.* & *Quercetani* aſſerto *Diæt. polyhiſt. ſ. 2. c. 1. p. 58.* eius reliquias quasdam certis adhuc temporibus ibi efflorescere, cum medici Angli celeberrimi de hoc ſileant, & ſudorem funeſtum, qualis olim in Anglia increbuit, ſcribat *Williſius l. de feb. c. 19. p. 240.* & refutet, qui per 40. annos integros ſcribunt regioni huic familiare hoc malum & perpetuum fuiſſe, *pharmaceut. rat. ſ. 5. c. 3. p. m. 231.*

Ita ergo primum ſuum actum tragicum exercuit morbus in Anglia, neque enim, quod ſciamus notatum, tunc transfretauit æque aliorſum. Sed alter locus natalis, aut ſtrages potius & campus martius, præter Angliam, altera vice impetitam, Germaniæ inferiori & ſuperiori obtigit, quo de itidem operæ pretium fuerit laudare ſcriptores authenticos; id vero contigit anno 1529. quamuis 1528. annum quidam numerent.

Ex

Ex Belgis audiatur *Sebastianus Egbertus*, *schol. in praxin Dodonaei c. 17. p. 81.* Sudor Anglicus, *ait*, anno 1529. Amsterdamum primum attigit. Infecti vero fuere a die Iouis ad Dominicam duo hominum millia, consistentis plurimum ætatis, minores ac valde senes vix attigit. Pauci moriebantur, postquam scilicet remedia a vicinis ciuitatibus communicata fuissent. Prius enim, vt violenter sudorem exprimerent, multitudine stragulorum vel charissimos sibi veluti suffocabant.

Concinit *Thomas Schreuelius Harlemi l. vlt. p. 303.* ita scribens: Anno 1529. morbi sudoriferi, qui & Anglicani, ita grassabantur Harlemi, vt nulla fere domus esset, in qua non esset æger. Intra 24. horas plerique morbo isto correpti moriebantur, cessante omni remedio humano & medentium ope. Suffocati permulti sub culcitro in mense Martio potissimum. Postea salutare sidus affulsit, & Æsculapius apparuit quasi e machina, qui obibat ciuium domos, & curabat hunc morbum epidemium, peculiari & infallibili remedio, iuuante conatus eius Deo sospitatore, ad refrigeria incolarum.

E Germanis *Hermannus*, *Comes a Nuenare*, *Simon Riquinus*, *Joachimus Schillerus*, & *Johannes Wierus* latius de eodem scripsere & egere. Nobis sufficiat *Anonymus MSS. Chronici Erfurtens.* e quo sequentia laudamus: Anno 1529. exoriebatur, justo Dei judicio, nova, inaudita & terribilis lues ac morbus, quem Anglicum sudorem & morbum nominabant, quo plura millia hominum abripiebantur. Correpti hac lue decumbebant circiter XXIV. horas, quidam minori, quidam longiori spatio, & horum pauci moriebantur. Qui XXIV. superuixerat, vt plurimum evadebat. Morbo correptus vrgebatur in somnum profundum, cui nisi contra iretur, agitando, hinc inde locando, gestando, ne obdormisceret, moriebatur. Hinc cui salus cordi, omni modo a somno prohibendus erat.

Vti igitur ab accidente, & respective remedio, sudor dictus fuit, ita vsitatius, extra Angliam tamen magis, Anglicus, vel Britannicus, a patria, vbi primum obortus est, nomen obtinuit. Ab aliis ἱδρωπυρετὸς, febris sudatoria, febris Anglica, *Fonsecæ l.2. cons. 1.* febris sudorifera Britannica, febris sudore exitialis *Langio l. 1. epist. 81.* pestis Britannica ipsa *Schillero* dicitur, ne plura laudemus nomina.

Quamvis vero & apud *Coum* occurrat πυρετὸς ἱδρώδης, *febris sudatoria* tabifica, *l. de int. affect. c.13. t. 16.* item οἱ πυρετοὶ ξὺν ἱδρῶτι, *febres cum sudore*, qua die quinto mortuus quidam asseritur *l. 1. epid. s. 3. ægr. 8. t. 16.* illas tamen non omnimode cum sudore Anglico convenire, palam est.

CAPVT II.

De Definitione reali & Subiecto.

PRæmissa hac consideratione generali, & hinc eruenda in sequentibus specialiori, consultum fuerit, ideam typicam mali huius recepto more DEFINIRE concise, ad conceptum inde pleniorem formandum, id quod sequendi modo tentabimus:

Sudor Anglicus est febris ephemera maligna, epidemica, a rarefactione elastica lymphæ vaporosæ volatilis præternaturali, sudore debito magis subiugabilis.

GENVS seu ratio formalis est febris. Est enim in eadem quoque, non minus ac aliis omnibus, calor efferatus in toto, seu intemperies calida vniuersalis. Non tam vero per hanc, quam per febrim ipsam definitur, cum specifica differentia addita, quandoquidem non tam sub genere primo seu summo, sed subalterno militat, & in effectu sic clarius elucet quid sit, quam si genere illo febribus omni-

bus

bus communi id efferre voluerimus. Perinde quoque eſt, an febrim ephemeram malignam, an malignam ephemeram aſſeramus, cum res eodem recidat.

An vero ephemeræ ſeu diariæ titulum mereatur, decidendum eſt paulo fuſius, idque tanto magis, quod ab aliis partim negetur eſſe ephemera, partim ad alias referatur. Autor eſt *Fonſeca l.c.p.2.* non eſſe ephemeram, vt quidam voluerint, ſed potius de genere peſtis, quod ex communiter graſſante malo & ſtrage, quam edidit, confirmari poſſet. *Langius* vero inter alios *l.1. epiſt.19.* & *Salomon Albertus orat. de ſudore cruent.p.21.* ad τυφώδεις & ἐλώδεις, Galeno dictas, refert, quæ ſunt ardentis ſpuriæ, eiusque humidæ, ſpecies, & ad continuas ſpectant, ſudatoriæ vno verbo, vel vaporoſæ, fumidæ, halituoſæ ſaltem, de quibus videri meretur *Caſpar Hoffmann. l. de febribus c.54. p.324.*

Aſt cum febres primario & vnice a typo, ſeu ordine intenſionis & remiſſionis, ſint denominandæ; cum ephemeræ eſſentiale ſit, vt intra diem & noctem, ſeu intra 24 horas finiatur; cum a cauſa occaſionali magis exoriatur, (hoc loco communi,) cum non abſolutam ſtragem edat, ſed plurimi ſeruari poſſint, cum non tam ſimplex vna idea, ſed compoſita quaſi eandem conſtituat, conſultius omnino fuerit dicere ephemeram, eamque & peſtilentem, ſeu malignam, & ſudatoriam. Conſentiunt in hoc plerique, *Fracaſtorius*, *Riquinus*, *Lemnius*, *Wierus*, & alii.

Eſt vero inſimul eadem etiam epidemia, quod a cauſa communi, vt diximus, eaque tranſitoria, accidentali, non immanente & conſtanti foueatur, & plures inuadat. De hoc vti nullum dubium eſt, ita ſunt qui & ſporadicum & endemium inprimis aſſerunt quoque. Aſt ſporadicus, ex cauſa non communi, ſed priuata indiuiduali, oriundus, hunc illum ſaltim corripiens, rarior fuerit, quorſum referri forſan poteſt exemplum a *Joh. Michaelis* obſeruatum, *in-*

praxi p. 1. l. 1. c. 22. ego, *inquit*, vnicum in tota praxi hic habui experimentum, notatu tamen dignissimum. Semper enim ab ægroto fumus quidam, qui cadebat sub visum, prodiit.

Quod vero endemium statum attinet, non negandum quidem est, in Anglia primitus siue ortum, siue obseruatum, (quamuis nonnulli, sed incerto autore & tempore, etiam iam olim grassatum memorent:) nec negari potest afferre autores rationem non vnam; attamen vix illa possunt sufficere. Neque enim vltra illos terminos seu annos definitos sæuiit morbus vel extitit, neque hodie quicquam de eo endemii audias, quod necessum foret, cum endemii formalis ratio consistat in causa communi, sed immanente & quasi essentiali, non acquisita. Tali modo non dici potest hic sudor velut inquilinus Angliæ. Falsum quoque est assertum, hos sudores nunquam in nostris regionibus grassari. Factum enim id esse abunde docuimus. Hinc satius videtur epidemium statuere, non epidemico-endemium, æque, nisi per accidens. Neque obstat, ipsum *VVillisium l. c. pharm. rat. s. 5. c. 3.* endemium vocare, contextus enim ipse euincit, epidemium illum intelligere; dicit enim tum domi, tum foras olim endemium & 66. annorum spatio, videlicet 1506. 1517. 1528. 1551. quater solum rediisse, quorum duorum priorum & vltimi alii minus meminere.

Ex vtrisque porro prædicatis, quod sit febris maligna ac epidemia, vel tacentibus nobis patet, esse etiam contagiosum morbum, qui in plures serpit, & diuagatur, quod cum peste & aliis habet commune. Adeoque hæc ipsa generi assignato addita fœnerant eidem DIFFERENTIAM SPECIFICAM, adeoque notionem magis completam, additis inprimis reliquis definitionis verbis, & maxime sudore, vt si vel maxime τυφώδης vel ἑλώδης placeat denominatio, illa tamen restringi debeat genere, quod sit sudatoria ephemera, eaque mali moris.

Ex

Ex hiſce conſideratis non difficile erit de SVBIECTO morbi diſquirere. Cum enim, ad inſtar aliarum febrium, ſit morbus vniuerſalis, cum ad ephemeras & malignas ſpectet, & ex his velut diuiſum imperium tyrannicum exerceat, ac vitalia impetat, cum in ſudorem reſoluatur corpus, neceſſum fuerit, in radice & parte aliqua cum toto communicante ſuum virus illam locare.

SVBIECTVM ergo PRINCIPALE aſſignandum ſine dubio venit cor & maſſa ſanguinea, quæ ſtant pro vna, adeoque in concreto ſpectanda. Occurrit hic recepta hypotheſis, ephemeram in ſpirituoſa magis parte hoſpitari, ad denotandam impreſſionem minori gradu factam, vt hecticæ audiant, ipſis ſolidis partibus magis affectis, ad penitiſſime radicatum calorem denotandum, putridæ humoroſæ ſint magis. Nobis concinnius laudare licebit ſubiectum lympham ipſam, vna cum ſpiritibus vitalibus, quamuis primitus leuius affectis.

Quod enim alias eſt febris catarrhalis, quoad alium excretionis lymphaticæ fontem, id hoc caſu fuerit Sudor Anglicus. Utrobique a priori & poſteriori emicat, lympham in cauſa eſſe. Sudor enim materialiter eſt latex, vt *Helmontius* recte aſſerit. Liceat ſaltim huc illud vulgatum, alio paulo ſenſu, applicare: ex quo quid conſtat, in illud reſoluitur. Ergo lympham eſſe ſubiectum inhæſionis nobis dari poſtulamus. Spiritus vero ſuos quoque pati manes, ipſamque adeo maſſam ſanguineam, phænomena occurrentia demonſtrant ſatis, inferius recenſenda.

SVBIECTVM ADÆQVATVM reſpectiue, ſeu ſymptomatis, vt principale morbi erat, ſeu adiuncti quoad ſudorem, idque ſecundarium & vniuerſale, in quo ſe exerit, eſt cutis cum cuticula, ſeu potius pori & tubuli lymphatici, glandulæque ſubcutaneæ, quoad totum ſuum ſyſtema. In his humiditas ſeroſa, ſpecie vaporum propulſa, tanquam

in vniuersali corporis σκεπάσματι, scaturit & diffluit, concentraturque, idque magis vel minus, prout hoc vel illud membrum poris & cauitatibus magis gaudet, & pluribus glandulis secretionis organis abundat, vel contra sudoribus transmittendis aptum natum est. Nulla vero pars adeo infelix est, vt se ab onerosis fuliginibus exonerare non possit, & quisquilias eiicere. Tota enim cutis in suo ambitu perforata & porosa est, longe magis quam hypericum, seu perforata hinc dicta, id exhibet.

CAPVT III.

De
Causa immediata & mediatis proximioribus.

QVemadmodum *Abuali l. 1. fen. 2. doctrin. 1. c. 1.* dicit: causam id esse, quod primo est, & ex quo prouenit inuentio alicuius dispositionis in corpore humano aut eius fictionis; ita merito in morbo nouo viso, vel nouiter emergente, in ea inuestiganda occupari fas est.

CAVSA IMMEDIATA itaque est rarefactio elastica lymphæ vaporosæ volatilis & tenuioris præternaturalis, hæc quippe adæquata est & febri, & huius comiti sudori. In omni febri est talis rarefactio massæ sanguineæ, quamuis in aliis magis transeunter, in aliis immanenter, in aliis extra, in aliis intra vasa. Idem valet de sudore, difflata & rarefacta lympha exudante & protrusa, velut roris in modum, cuius ideam subeunt atomi rarefactæ, quando extra sphæram seu limites calidi & fluidi eluctantur.

Præternaturalis vero est, ad differentiam naturalis, quæ velut continua est, toties repetita, quoties appellens venosus

nosus sanguis in corde nova a flamma vitali scintillante, acquirit succendicula & emicationes; imo & non-naturalis, a rebus nonnaturalibus his illis eandem inferentibus, quod e causis sudoris naturalis quoque satis patet.

Cavsa Mediata proximior est fermentum, vaporosum malignum, lymphæ, & mediante hac massæ sanguineæ insinuatum, salino-sulphureum. Quamuis vero fermenti notio inuisa videatur nonnullis; nobis tamen satis est, per mechanicam hoc clare patere. Fermentum est immutatiuum, hoc loco sanguinis, & secundum naturam dabile, & consequenter præter naturam existens, & nullo modo negandum.

Peregrinum hoc est, adeoque morbificum & actiuum, inæquale, irritativum, quod tanquam heterogeneum, onerosum & hostile subigere & eliminare conatur archeus. Hinc motus intestinus turbatur, & ex placido efferatur calor, & reliqua accidunt, ex huius fermenti specifica natura. Inprimis enim malignum est hoc ipsum, quo ab ephemera simplici differt, quæ etiam a fermento rarefactiuo, ast occasionali, seu positivæ seu priuatiuæ causæ debito, adeoque facile subiugabili oritur.

Est speciatim vaporosum, seu elasticum & diffusiuum sui, in poros lymphæ & partium corporis, quod febrium aliarum intuitu possumus illustrare. In malignis reliquis lympha deficit, incoquitur, vigiliæ augentur, pori hiant plus iusto, & in inordinationes citantur spiritus ac nervi, verbo, minus respectiue vaporosa est; hic contrarium accidit. Non offenditur hic tam venenum fermentatiuum absolute tale, vt in aliis magis accidit putridis febribus, non corrosiuum, fermentatiuo sociatum, vt in peste, sed vaporosum simul, & κατ' ἐξοχὴν spiritibus insidians, & poros replens, idque magis vel minus pro diuersitate subiectorum fit.

Salia liquandi & fundendi lympham pollent virtu-

te, & ipsa sunt sudorifera, vnde & sudores scorbuticis & melancholicis sunt familiares, sulphur resolutum vaporosum est eximium, poros obstruendi virtute præditum, vtraque specifica reddita genium malignitatis variant.

Quod si modos considerandi vsitatos in pathologia huc applicemus, nominauimus quoad *essentiam* præcipue lympham, fluxilem sua natura, & omnium humorum tincturam facile recipientem, salium & sulphuris biliosi vehiculum.

Peccat *essendi modo*, quantitate, qualitate & motu. Visa sunt potissimum morbo affecta corpora plethorica, & quæ *Philosophus* vocat σώματα ἐλώδη, plena & impura corpora, seu cacochymica. Plethora laudanda est maxime quoad vires, seu, ex circulationis legibus, quoad poros extimi ambitus corporis, ad cacochymiam inclinans & abituriens; cacochymia serosa scorbutica, quæ putrilagine lymphæ famosa est. Illa onerosa, hæc grauatiua, vtraque archeo molesta satis, & ad suscipienda miasmata, & corruptelam vliginosam admodum prona. Testantur id satis olidi & fœtentes, aciduli & ingrati sudores, in febri isthac pleno imbre effusi.

Quantitas tamen illa mineræ morbosæ non est ita eximia, sed minore pondere seu mole efficax. *Qualitate* vero salsa, amara, acida, maligna: *motu* vero apprime peccans, generata in primis viis, in culinis viscerum, in toto & partibus definitis, euibrata in extima pelle, parte ad excipiendas quisquilias & sordes uliginosas vapidas, aqueo-sulphureo-salinas, maxime a natura dicata. Imo & hic generata, ϛάσει concepta, ad vitales vndas rediens vapida lympha morbifica, cum lympha vitali nupta, exercuit archeum, vt pugnam subiens ϛάσις lymphæ promota per spiracula cutis foras exulatum propelleretur.

Quod ergo fermentum alias lentum est respectiue in peste, secus ac nonnullis visum est, hoc casu magis est volatile,

ile, miaſmate lymphæ communicato, vel concepto, ad diſ- flationem magis inclinante & apto, vt στάσις quoque in bubonibus, & acrimonia maior in carbunculis eminet, neutris hoc loco viſendis.

Referri hinc poteſt huc ex quinque illis cauſis intemperiei calidæ *Galeno* laudatæ *l. 1. de differ. febr. c. 2.* σῆψις, *putredo*, latiori ſenſu pro fermentatione ſumpta, ſeu putredine medica, animati, non mixti, διάκρισις ſeu διαχώρησις Hippocratica, ſeceſſio, puta a mixtionis vinculis, inde conſurgente motu inteſtino peregrino. Illa vero in noſtro caſu, vt in aliis quoque, eſt ſpecifica, pro lymphæ ſtatu laudato & ſalium diuerſo, & putredo quidem ſaltim intentata & ſudore debito ſubiugabilis, leuior & difflabilis. Reliqua vero a *Pergameno* laudata potius ad cauſas mediatas remotiores pertinent, ad quas delibandas iam progredimur.

Capvt IV.

De *Cauſis mediatis remotioribus.*

NOn prætermittendæ ſunt inter haſce, ſed merito primo loco præmittendæ, Svpernatvrales. Si vllibi, ſane hic τὸ θεῖον Hippocrati, ethnico licet, laudatum venerari oportet. Quis veterum medicorum plenarie ſudoris Anglici indolem exhauſit? quis noſtro ſeculo experientia deſtitutus audet felici omine malum euanidum, ne per ſomnum quidem in mentem & orbem rediturum, ſolertius inueſtigare? Sane licet multi ingenio indulgentes ex profeſſo quaſi eius naturam ſcrutati ſint, nemini tamen licuit eius naturam plenarie exhaurire, qui non admiſerit ſimul cauſas naturalium ſphæram excedentes, quales dari ſacer codex probat *Deut. c. 28. v. 22.* Suf-

Suffecerit nobis, ſupremum præſidem & directorem eſſe Deum O. M. quod a poſteriori cumprimis tueri licet, & reliqua omnia huic ſummæ cauſæ & primæ ſubſtant ex reliquis claſſibus. Oſtendit vero & hoc pacto, vel leviſſimam febrim (quæ enim levior fuerit ephemera?) ſubruere poſſe opinione citius humana corpora, etiam ſaniſſima.

Non minima vis fuit in inferendo ſudore Anglico CAVSARVM NATVRALIVM, ſeu πϛοηγȣμένων. Talis eſt diſpoſitio corporum quoad ætatem, habitum corporis, temperamentum, & alia. Enimvero non corripuiſſe æque viſus fuit pueros ante decem annos, vel ſenes. In illis enim ſalium fœtura non tanta eſt, in his lymphæ. Magis vero obnoxii fuere iuuenes, viri, ſani, robuſti, quadrati viſi; magis tamen ex his quoque habitu corporis rariori, ſuccipleni, ad febres diſpoſiti, ſanguinei, quam macilenti, melancholici & alii, tametſi in malignis nulla ætas priuilegio gaudeat immunitatis.

Tacemus SEXVM fœmineum delicatiorem, & idoneum, ob raram corporis texturam, & humiditatem tum naturalem, tum adſcititiam, ſuſcipiendo huic fomiti.

Maximum momentum in AERE poſitum fuit. Vix enim præterquam autumno maxime, hinc & vere emicuit; illo ſcilicet anni tempore, vbi anomaliæ calidi & humidi fiunt maiores, quo item febres catarrhales alias, variolæ quoque & morbilli graſſari ſolent magis.

Obſeruauit id dudum *Hippocrates* quoque 3. *aphor.* 6. cum æſtas ſit ſimilis veri, ſudores in febribus multos expectare oportet. Cum ergo febres varient & diuerſæ ſiant, ac modificentur etiam a ſtatu diuerſo anni temporum, elogio *D. Præſ. Aphoriſmis aphoriſmor. in h. l.* talis huc quadrauerit magis, qui & lympham augere & vapidam reddere potuerit, ſtatus auſtralis frigidus & humidus, inæqualis, pluuius. Notarunt vno quaſi ore autores intemperiem anno-

rum

rum illorum. Humidissima fuit temporis constitutio anno 1528. & 1529. imo per quatuor integros annos præcedentes, fluminum hinc inundationes frequentes, frumenti corruptio non parum contulere.

Ephemeram simplicem ex densata cute dudum notavit *Galenus l.1. de differ. febb. c. 11.* cur non ab austro & imbribus constipatio pororum, & quidem ob ætheris specificam texturam talis oboriri potuerit, vel etiamnum possit, vbi gravatur lympha, vapidaque & elastica redditur, subtili cum miasmate.

In Anglia vero ob crassum & nebulosum aerem jam dum a vaporibus circumflui maris, carbonum fossilium fumo & soli ipsius dispositione, non improbabile est, sub illo cœli positu, μεταβολὰς, *mutationes* extraordinarias illas in macrocosmo consimiles etiam produxisse in microcosmo. Semper vero tempestatem humidam præcedaneam fuisse obseruatum est. Iam vero indubitatæ veritatis est, tempestatem humidam augendis in corpore humoribus patrocinari, qui postmodum ad plenitudinem evecti, & ὀργασμὸν indepti, a natura eliminantur, exemplo feminis & sudorum copiosorum aliorum.

Neque vero sola περιχύσει aer contulit plurimum, cum corpus nostrum perpetuo ambiat, & interpres sit communionis inter spiritum, lympham & astralem alterationem, secundum effatum *D. Præsid. Pathol. Dogmat. sect. 2. c. 8. p. 292.* Sed etiam εἰσπνοῇ, *inspiratione* ipsa, tum æthere sic minus libero in vitalia insinuato, tum moleculis seu atomis fermentificis & seminalibus in locis infectis.

Ab aere digressi alteram morbi occasionem offendimus in CIBO & POTU, quantitate, qualitate & utendi modo peccantibus. Ingluuies & crapula non solum augent lympham, & corpori reddunt onerosam, & ad sudores disponunt, elogio *4. aphor. 41.* sed & inuitant febres, cruditates

& cacochymiam cumulant. Vſus vini generoſi, Canarienſis, ſacchari, lacticiniorum, panis mucidi non parum conferre potuerit, ſaltim diſponendo corpus & maſſam ſanguineam ad alterationes ab æthere proficiſcentes facilius ſuſcipiendas.

MOTVS & QVIES lymphæ & ſpirituum motum & κρᾶσιν moderantes huc conferunt; ille quidem tempore grasſantis luis citatior, ad calorem febrilem & ſudorem diſponens, vnaque rarefaciendo poros dilatans; hæc vero στάσιν, torporem, & coagula lymphæ in cribris ſuis inducens.

Idem fere iudicium eſto de SOMNO & VIGILIIS; ſomnus largior corpus, non ſatis tectum inprimis, nimis effœminat & torpidius reddit, & conſequenter ſuperfluis humoribus inundat, cum quibus partes ſanguinis oleoſæ ſartæ tectæque manere non poſſunt. Vigiliæ in feram noctem protractæ laſſant, & ſpiritus ad reſiſtendum morbo impares reddunt, ne alia vitia inde reſultantia laudemus.

In EXCRETIS & RETENTIS remotius paulo reliquæ huc conferunt, aluus non ſatis reſpondens, vrina parcior reddita, menſes & hæmorrhoides non decenter expurgatæ, vnde non depleta lympha turgidula redditur, alueos vndulantes grauat, & in glandulis ſtagnare diſcit. Proximius vero magis tranſpiratio inſenſibilis prohibita, ex qua ſenſibile fit malum, ſi fermentum hoc loco elaſticum vaporoſum concipiat.

Nec ANIMI PATHEMATA indicta relinquenda, tum efferantia ſpiritus & lympham, vt ira, velut febris ephemeræ quædam idea mechanica, quomodo cito fiat ſimplex, & quomodo cito diſpereat; tum concentrantia. Dudum timor & terror tanquam obſtetrices peſtis infames ſunt habiti. Idem vero in morbo tum ſubitaneo, tum celeri & funeſto obtinet. Fingamus fabulam talem ludi in

vrbe, ſimul & ſemel quaſi aliquot centum, ſanis robuſtis viſis, his decumbentibus, his morientibus, vt prius defunctos audias quam ægros. Quis non inhorreſcat, quis non percellatur tanta ſtrage inaudita, & ſuam rem agi putet, paries cum proximus ardet?

Ex Præternatvralivm cauſarum claſſe laudari poſſunt quoque nonnulla, Vix dubitare licet *ſcorbutum*, ab humido & frigido exacerbari ſolitum, putrilagine lymphæ ſic magis promota, multum huc contuliſſe, cum morbus ipſe hic frigida murorum exhalatione exacerbetur, intra tabulata vero miteſcat, teſtimonio *Langii l. 2. ep. 13. p. 614.* Eſt & ipſe ſudor ſcorbuticus famoſus, index lymphæ conſimilis, ſalibus acidis fœtæ.

Videtur & illud conſideratione dignum, quod 1527. in vniuerſa Europa *peſtis* ſæviſſima orta & prægreſſa ſit, teſte *Fonſeca l. c. p. 3.* vnde argutari licet, annon velut reliquiæ quædam, & ſeminia minoris momenti, minuſque reſpective atrocia, ſudorem hunc poſt ſe excitaverint.

Sed præcipuum eſt *contagium*, morbis epidemiis quaſi omnibus familiare. Eximium eſt & notatu dignum experimentum, ſymboliſare inter ſe aërem & contagium mirum quantum, quod in peſte, in variolis & morbillis, febribus catarrhalibus & aliis videas. Sunt enim ſua etiam morbis ſeminia, quibus promovendis, coercendis ac deſtruendis plurimum inſeruit aër. Quisquis igitur graſſante eiusmodi morbo ſibi minus cauet ac proſpicit, negligentior & confidens ætati, robori & bonitati naturæ, diſpoſitionem ad recipiendum & actuandum venenum penes ſe fovens, ſeu velut in ſinu gerens, vel ſola converſatione, accubitu & communione, contactu vel immediato, vel mediato, in ſe malum deriuat facile, adeoque tunc temporis nusquam tuta fides.

Atque hic locus eſt, de noſtra ætate pauca quædam addere, ex obſeruatione *D. Praſ.* Vtut enim hoc ipſo ſeculo

non facile notatus sit hic morbus, videntur tamen eius aliqua vestigia quibusdam locis, superioribus annis, quibus pestis grassabatur, alicubi expressa fuisse. Visi enim sunt epidemium in morem tremore & frigore correpti, mox a sopore oppressi, eoque post XII. horas, plus minus, excusso, sibi valere visi mox obiisse, quibus sudore procurato, & propulso somno, succurri potuerit.

CAPVT V.

De *Differentiis.*

QVod DIFFERENTIAS attinet, minori fere numero eædem occurrunt, cum paulo strictioribus sudor Anglicus gaudeat terminis.

Ratione GENERIS aliis magis, aliis minus est malignus, vnde & in alio maior, in alio minor calor, & consequenter symptomata. Alius est exquisitus, alius spurius. Alius integrum absoluit cursum 24. horarum, alius productior est; alius verno, alius autumnali tempore exortus.

Ratione SVBIECTI, alius congruus, alius minus talis, puta quoad ætatem, temperamentum, habitum corporis, & sic porro. Alius vitalia quatit magis, seu medium ventrem, cordi infestus & spiritibus; alius cerebro & spiritibus animalibus, ventriculo item seu præcordiis.

CAVSARVM ratione alius est ab infecto corpore, alius ab intra generato, communi tamen, miasmate. Alius magis criticus, alius symptomaticus. Alius oppressiuus, alius resolutiuus, alius medius. Alius a communi causa, alius a priuata, sed rarius.

Differt vero a febribus aliis omnibus continuis typo & duratione, a peste seorsim & aliis, si non minori, subiugabili tamen magis malignitate.

CAPVT

Capvt VI.

De *Signis Diagnosticis & Prognosticis.*

DIfficillima in morbis tam nouis, quam acutis malignioribus est DIAGNOSIS, tanto curatius hinc attendenda, quanto præsentius vitæ periculum inde imminet metuendum.

Est vero ex illorum Sudor Anglicus classe, in quibus collectiue potius, quam vno solo indicio, pathognomica signa absoluuntur. Si itaque ESSENTIALITER INHÆRENTIA lustremus, absoluunt eadem (1) febris. Incepit enim cum horrore vel frigore, maiori vel minori, per dimidiam horam vel vltra durante, sequente hinc calore subdolo, modo blando viso, modo magno & inusitato, cum pulsu celeri, vel frequenti. (2) Sudor eodem tempore erumpens per corpus vniuersum, maxime vero circa thoracem, isque olidus, graueolens, fœtidus. (3) Malignitas & contagium, seu in plures diffusa strages communis. (4) Acuties & celerrima decursio, cum vehementia & periculo præcipiti, 24. horarum mora absolutis.

ESSENTIALITER CONSEQVENTIA plura eundem stipant & confirmant symptomata. Ex ACTIONIBVS LÆSIS VITALIBVS respiratio difficilis, palpitatio cordis, syncope ipsa, seu animi defectus gradibus diuersis, pulsus inæqualis, vndosus, mollis, plenus, imo & vacuus, anxietas, seu angustia præcordiorum. Ex NATVRALIBVS, nausea, inappetentia, sitis; Ex ANIMALIBVS, dolor capitis, vertigo, inæqualitas, δυσαρέστησις, cardialgia, dolor

ventris, dorsi, inguinum, coma vigil, seu inclinatio magna in somnum, somnolentia vel sopor, inquietudo, motus conuulsiui, in singulis subitanea & insignis virium prostratio, vt pedibus vix possint ægri insistere.

IN EXCRETIS aliquando & vomitus adfuit simplex, biliosus, rarius paulo sanguinolentus, hæmorrhagia narium, vrina tinctior & largior. In QVALITATIBVS MVTATIS laudari potest rubor & tumor, seu inflatio quædam faciei, squalor oculorum, odor laudatus circa cutis spiracula, citra exanthemata; pustulas tamen paruas consecutas memorat *Forestus l.6.obs.8.*

Merito vero PROGNOSIS est velut pyxis nautica, maxime in malignis, vt peste, & ipsa hac ephemera pestilenti, idque tanto magis, quanto magis subdolus est morbus & incautos fallit. Non solum citius adest quam adesse putatur, sed & interimit quasi prius, quam ægrum se nouerit.

Sed vt ordine procedamus, quoad euentum, seu SALVTIS & MORTIS prædictionem, sudor Anglicus est ὀξύτατος, peracutus, acutissimus morbus, adeo vt inter primi generis hos acutos velut principem locum teneat. Vtut enim non omnes interimat, internecionem tamen intentat, eamque infert, si imparatum, negligentem, & sine armis & præsidiis imbelle corpus invenerit. Adeoque periculosissimus est, ad mortem prona tendit via. Notavit id dudum in genere *diuinus Senex l.1.prædict.c.10.t.1.febres,* ait, κωματώδεες, ἐφιδρῶντες, κακοήδεες, *soporosæ, sudatoriæ malignæ.*

Et mirum tamen fatum est, & mirus genius malignitatis huius, quatenus mortem & vitam exhibet, & hoc casu quoque Deus O. M. pœnas clementia temperat, stragem gratioso moderatus euentu. Si cura non desit debita, obseruatum est, rarissimum esse, qui hoc morbo absumeretur. Tantum est nosse hunc morem, tantum, principiis obstare, & nihil vt in bello, sic & in morbis negligere.

TEMPVS EVENTVS, seu longitudinis & breuitatis præ-

prædictio, hunc morbum inter febres breuissimas locat, ad vtrumque tamen extremum, salutem & mortem, varians. Terminus solennis quasi & communissimus est horarum 24. Intra hunc vero & de vita & de morte decretum fuisse visum est, aliis intra paucas horas 6, 7, 8, 10, 12. vel morientibus vel spei promulside erectis, de periculo vitæ evitando; prout sudor se gesserit. Post vero laudatum terminum elanguet morbus, nec facile timor vllus superest, modo nullus error committatur intempestivæ aeris admissionis, & laxioris disciplinæ clinicæ.

MODVS EVENTVS vnus & solus quasi ad salutem finiens est sudor, nec deficiens, nec excedens, ad mortem vero ejusdem administratio incongrua. Si non promoueatur, *oppressiuus* fit & suffocatiuus flammæ vitalis; sin vltra modum exporrigatur, *resolutivus* & colliquatiuus. Priori casu debilior est natura, vel sua culpa, quod rarius est fere, vel ægri potissimum & adstantium, vel medici quoque. Nisi enim iuuetur in propulsando a centro ad circumferentiam, actum est de ægri vita; sin rarefactio fiat coactiva incongrua, fatiscunt spiritus.

Et hic fuit error ille empiricorum, vel vulgi, quod moderari regimen morbi nesciuerint & neglexerint. Omnis enim venenositas, nisi annihiletur, vitalia petit & suffocat; omnis rarefactio nimia spiritus fugat, turbat, exacuit & pessundat. Applicari hinc potest huc illud *Cœlii Aureliani l. 2. acut. c. 38. p. 140.* multi imperiti medici prosperos atque mediocres sudores constringentes, morbosa ægrotantibus reddiderunt corpora, diaphoreticis adiuuantes, causa mortis extiterunt; vbi & plura habet huc facientia.

Videas in balneis laconicis animum linqui toto die. Exempla sudoris coacti lethalis etiam 6. horarum saltim notauit *Nob. D. Ledelius Dec. 2. Ephem. Germ. ann. IX. obs. 125. p. 257.* Medio ergo modo se habens *criticus* est sudor, natura monstrante

ſtrante viam, non inſufficiens, nihil enim paucum criticùm; non longior plus iuſto, vltra ἐυφορίαν puta, vnde neceſſario fit *ſymptomaticus*, & hinc facillime funeſtus & lethalis, cum virium exſolutione, ſymptomatum augmento & breui cataſtrophe.

CAPVT VII.

De *Curatione.*

CVRATIO maturanda eſt, vbi in præcipiti eſt bene agendi & iuuandi, ſeu fronte capillata, poſt hæc occaſio calua.

Iuxta leges ergo METHODI MEDENDI, indicatio CVRATORIA difflare iubet & diſpellere malignum peregrinum inquinamentum, lymphaticum, vaporoſum, rarefactiuum per ſudorem; VITALIS tutari vires, non minus ac mitigare & moderari ſymptomata. PRÆSERVATORIA cauſas attendit auertendas & infringendas, ne impetat morbus, ſubmouendo diſpoſitionem, vt & ne recidiuet ſemel diſcuſſus.

Quod ex FONTE CHIRVRGICO decantatiſſimum & vniuerſale remedium VENÆ SECTIONEM attinet, ad præſeruationem, ventilandi & deplendi ſanguinis oneroſi ergo, qui eo opus habent, non abſurde concedi poteſt plethoricis, vt parte dempta reliquæ maſſæ ſanguineæ motus & conſiſtentia vigoretur magis. Curandi vero vſu, vt in peſtilentialibus aliis quoque, minus habet locum, niſi quid vrgeat, quo ſenſu intelligendus *Joach. Schiller. l. de Peſte Brit. S. 1. p. 123.* reliquis, *inquiens*, opem tulit magnam etiam acceſſionis tempore venæ ſectio.

Nec reliqua ex hoc fonte præſidia arceſſere opus eſt, vt CVCVRBITVLAS tam ſcarificatas, quam ſiccas, præter;

terquam, si ad auertenda capitis incommoda, & evocandam magis serosam malignam auram VESICATORIO videatur opus, ita tamen, vt auræ admissione sudori nulla remora fiat.

FRICTIONES cum linteaminibus calidis bonæ notæ sunt & commodæ, si fiant in hypocausto sufficienter sudori proliciendo adaptato, & post illum exantlatum ad corpus detergendum, & difflationem sic ulteriorem promouendam.

Ex Fonte pharmacevtico tanquam largissimo penu triplicis regni medicamenta & genuina antidota haurire licet, interne & externe in vsum vocanda.

Consultum fuerit deplere lympham superfluam & LENIENTIBVS, ἐκκοπρωτικοῖς, balsamicis & aliis, vt imminuta cacochymia, & conditis quasi humoribus avertatur putrilago ejusdem. Fecerint huc aloetica, *aloe rosata, violata*, NP. ♀ *tar. pillulæ Ruffi*, seu de tribus, *infusum & brodium sennæ* innoxiæ, *rhabarbarum* benignum, *tamarindi* aciduli, *myrobalani* roborantes simul; modo omne id fiat cum directione medici & citra præiudicium sudoris.

Idem sentiendum est de purgantibus aliis. Præstat enim corpora cacochymica deplere decenter, sed non atterere vires, vnde *species diasenn. diagialap. diaturbith. c. rhabarb. resin. scammon. gialap. extract. cathol. Andernac.* ☿*ius d. rit. præparat. sir. de cichor. c. rhabarb.* & similia, non nisi cum grano salis & cautius exigente vsu adhibenda, nullatenus vero morbo iam præsente.

Hærente in ventriculo saburra vitiosa, & nausea aliisque notis se exerente, prosunt EMETICA, vt ♀ *emet. aqua benedict. Ruland. mercur. vitæ*, sed caute, & dosi minori; ita enim præcordiis liberatis, bezoardica liberius diffundere vires suas & virus extinguere norunt, alias itidem noxia futura.

DIVRETICA, quatenus symbolica sunt cum diaphoreticis,

reticis, & intemperiem febrilem alterant, ad sitim etiam sedandam ac diluendam lympham, subordinari queunt, acidula puta, nitrosa, *clyss. ♁nii, Tinctura rosar. violar. bellid. arcan. dupl* imo & alcalia, vti *sal absinth. succisæ, card. benedict. scordii*, laudata *Wiero* quamvis de præparatione eorum minus ex artis legibus philosophetur.

Instar omnium vero & specificum sic remedium sunt DIAPHORETICA & SVDORIFERA, vna scilicet bezoardica, quæ sola & genuina sunt morbi hujus remedia, seu præsentissimum auxilium sudor effusus. Vt vero clarius constet horum vsus, vt de indicatione adeoque necessitate nullum est dubium, duo cumprimis notanda veniunt, materia & vtendi modus.

Quoad materiam seu impellens, & quo mediante sudor proliciendus est, internum & externum, præsidente calore natiuo, id constituitur & notum est.

Enimuero non solus calor ambientis, seu externus coactiuus, sufficit, quia eliquat quidem & per poros cutaneos evocat lympham vaporosam; ast miasma & fermentum intus conceptum non attingit vel enervat. Adeoque incompletus est, nec illi soli fidendum, nec temere imitandi, qui in eo excedunt. Refert tale exemplum *Riquinus epist. de sudator. febri p. 85*: In pago quodam ab hac febri correptus quidam statim, regulas protritas contemnens, quantus erat, in accensum furnum, vnde panes iam cocti educti fuerant, se penetrauit: ibi cum totus sudoribus destillasset, emersit tamen languidiusculus, vt solent ab hac febri conualescentes. Porro qui deinde in eo furno excoctus est panis, nescio quid virulenti mandentibus conciliavit.

Nec sine eo tamem sudor ineundus est, vt ab intra, a centro ad circumferentiam, rarefactione naturali promota, subigatur venenosum gas, & exitus inueniat liberos, ne retrogrado motu vel reuerberetur quasi funesto euentu, vel non satis eventetur ac edometur. Ma-

Materia ergo sudoriferorum applicandorum, generali quidem vsu celebrata, sed speciali hodie magis eruta differentia distinguenda merito, & hoc casu in volatilia, media & fixa dispescitur: vt prout vel stimulo magis, quod vtplurimum fit ac opus est, vel freno eget salubri sudor, specifice magis succurramus; vel saltim hæc distinguamus ratione habitus corporis densioris vel rarioris, temporis morbi, quoad initium & declinationem potissimum, & sic porro. Vna quoque vno oculo intemperiem, altero malignitatem respicimus merito.

Hac distinctione præmissa, quoad formam externam ordinata sudorifera in exempli vicem esse possunt, ex liquidis *tinctura bezoardica* variorum, superioribus seculis nondum cognita, cumprimis vero viperina & essentificata *D. Præs.* probatissimi vsus, & largiori paulo dosi, vt in peste quoque, propinata, item *D. Michaelis, Rolfincii, Moebii, Ludovici*, ⁂ *C.C. eboris, viperar. liquor C.C. succinatus, liquor. C.C.* ♀*reus D. Præsid. mistura simplex Andernaci*, eademque rectificata quoque, volatilis, tincta & alterata.

Ex liquidis vero diffusis huc faciunt *decoctum milii, acetum bezoard. rutaceum, aqua card. benedict. galeg. scorzon. cord. H. Saxon. frig. prophyl. Sylv. bezoard. Ruland.* & similia, vt & emulsiones e *sem. card. ben. aquileg. nap. C.C. phil.* & aliis.

Ex mollium classe *theriaca Andromachi*, data cum aceto, *theriaca de sanguinibus Manardi*, quam *Riquinus* mire commendat, & electuarium simile *eiusdem*, *electuar. de ouo, mithridatium, fermentum bezoardicum D. Præs.* item *extract. scorzon. galeg. bezoard. theriaca cœlestis, diascordium Fracastor.* &c. E siccis *lapis bez. or.* & *occ. pulueres bezoardici Montagnanæ, Sennerti, Rolfincii, D. Præs. mai.* & *min. spec. liberant. s. al.* ♁ *diaph. bez. minerale*, ♂*ale*. Moderatior est *bolus armena, terra lemnia, terra sigillata Silesiaca*, quam *C. Hoffmannus l. de febrib. p. 31.* in sudoribus post tertianam epidemicam cum *aqua scordii* & *galegæ* vtiliter adhibuit.

Ex his vero & aliis, inter ſe varie in bolos, potiones, mixturas, pulueres & alias formulas concinnatis, vbertim farrago haberi poteſt medicamentorum, cum ſucceſſu adhibendorum.

Quoad vtendi ergo modum ad primum mali ſenſum decumbendum eſt, non tam indumentis in corpore relictis, quæ libertatem tranſpirandi facile impediunt, & anguſtiam ac anxietates augent, ſi alia detur id præſtandi occaſio, quod par eſt fieri; non tam, quod communiter laudati autores volunt, ſub tegmine leviori linteaminum, lanarum, vel pellium, quam, ſaltim noſtro more, ſub lecto prius probe calefacto; fruſtra enim reiiciuntur plumæ, quin præſtant potius aliis. Aſſumendum ſudoriferum, & ad ſudandum componendum corpus, ita tamen vt non excedatur, nec ſudor ipſe profluens impediatur.

Aureum eſt dictum *Hippocratis 1. aphoriſm. 23.* τὰ χωρέοντα μὴ τῷ πλήθει τεκμαίρεσθαι, ἀλλ' ὡς ἂν χωρέῃ οἷα δεῖ, καὶ φέρῃ εὐφόρως. *Excreta*, hoc loco ſudores, *non copia ſunt æſtimanda, ſed ſi qualia oportet exeant, & facile ferat æger.* Sudandum hinc eſt ſufficienter, neque enim alias leuatur natura, ſudandum ad εὐφορίαν, ad vnam alteramque horam, citra coactionem, citra ſuffocationem, non vltra εὐφορίαν. Non vero tam ſudor continuandus fortius per plures horas, (quis enim illud ferat?) quam æquabilis poſt ſudorem ſufficientem tranſpiratio. Eſt enim & hic modus in rebus, ſunt certi denique fines, quos vltra citraque nequit conſiſtere rectum.

Interim vero & ſudor detergendus, ne obſtruantur pori, vel refrigeretur a lympha olida protruſa corpus, quam ob rem frictio laudata cum linteaminibus calidis, in conclaui ſufficienter calefacto, conuenit. Lectus vero non temere mutandus crebrius, vel, ſi id fieri oporteat, non niſi ex calido in calidum ſecedendum.

Et

Et in hoc cardo totius medicamenti consistebat, quo de autores laudati vbertim agunt, vt ad genium malignitatis vtendi modus accommodetur. Et eodem modo intelligendi alii, nominatim *Busbequius Consil. de re milit. contr Turc, p.308.* Fuerunt quondam, *inquiens*, sudor Anglicus, & lues Gallica, morbi peregrini & incogniti: quos cum medici longe lateque vagantes vsitatis & communibus medicamentis reprimere conati essent, neque quicquam proficerent; tandem multorum pernicie edocti nouis remediis, aduersus nouas ægritudines, sibi pugnandum intellexerunt, quod quidem adeo feliciter cadebat, vt vterque morbus, qui antea invictum se præstiterat, mox cederet & in ordinem redigeretur.

Idem laudat *Th. Sprat Histor. Societ. Regiæ s. 8. p. 94.* Contra sudorem Britannicum habebatur remedium fere infallibile: ante vero, quam hoc potuerat publicari generaliter, ille depopulatus fuerat fere integras vrbes. Si idem morbus redierit, potuerat causare similem stragem, nisi *Dn. Baco* descripsisset regimen particulare remedii huius in historia Henrici VII. cauens sic, ne quenquam lateat prompte applicandum.

Non omittenda vna ALTERANTIA & CONFORTANTIA, interna & externa. Sic non inconsulto dantur potiones ex *decoct. hord. c. C. C. & scorz. c. aqua prophyl. tinctura rosar. violar. bugl. borrag. papav. rh. aqua acac. acetos. acetosell. scord. scorzon. fl. nymph. sambuc.* cum iisdem tincturis vel pulueribus appropriatis, *perl. præparat. matr. perlar. corall. alb. spec. cordial. temp. de gemm. fr. diamargarit. fr. spec. & confect. de hyacinth. panac. solar. D. Præs. pulv. e chel. cancr. comp.* & similia, *syr. corall. gran. kerm. gemmat. condit. pulpæ citr. elect. de gemm.* &c. Tacemus pulueres, rotulas & electuaria præseruatiua, vt & emulsiones alterantes & confortantes.

Ἀδαπανότατον est brodium lentium decoctum, cum

experimentis constet sale nitroso volatili easdem pollere, humores temperante & fundente. Opiata commendat *Michaelis*, quod de refracta dosi & cum bezoardicis intelligendum, vt sudor promoveatur, & spiritus a resolutione fortiori arceantur magis vniti; alias enim minus habuerint locum.

Nec externa negligenda sunt refectiua & confortantia. Reficiendi sunt ægri *aceti rosacei*, *bezoard. rutac.* odoratu. Suffitibus repurgandus aër, ex *bacc. iuniper. laur. spec. pro suffit. gumm. animæ*, *succin. iuniper. myrrh.* & *balsamum rutæ*, *angelicæ*, *antiloemicum*, naribus, pulsibus, temporibus &c. illini potest. Mentio etiam fieri potest *vnguenti Aëtii* ex nitro & oleo, cuius *Celsus* contrarium videtur statuere *l. 3. c. 6.* & similium. Sed vix opus est illis diffusioribus, quibus etiam per accidens quasi sudor alterari valet & repelli facile. Idem dictum esto de sacculis siccis ex *cort. citr. zedoar. camph. spec. pro epith. cord. cordial. temperat.* & aliis.

DIÆTA curatius obseruanda reliquis omnibus colophonem addit, qua sine frustra adhibentur omnino.

AER vitandus est frigidus & humidus, densus & nebulosus; calidus & luculentus vero cordi habendus, adeo quidem, vt admissio eiusdem, excepto capite, periculosa sit, & vitæ insidias struat. Hyperbolice tamen magis videtur dictum, apud *Schillerum l. c. s. 2. c. 2. p. 133.* periculum ingens & vulgo compertum, ne exposita contabescant decidantue membra.

In CIBO & POTV non præuaricandum; dandum est quantum satis, ne deficiant vires. In tenui victu & hoc loco magis peccatur. Conuenit enim hic inedia & abstinentia, sed tamen ne excedat, vt vice versa repletio nocet & morbum inuitat. Consideranda vero & hic ætas, regio, consuetudo & alia. Conueniunt oua sorbilia, carnes pullorum, iuscula & caro vitulina, agnina, vinum ὀλιγόφορον saltim.

QVIES

Qvies commendanda maxime, & decubitus maturus, ne iactitando corpus & indulgentes voluntati mortem sibi accersant, sua culpa, alioquin euasuri. Nocet omnis intempestiuus motus, & si ὀρθοστάδιος velit æger manere, ὀλέθριος euadit morbus.

Somnvs differendus & arcendus omni modo, ne irrepat vitalia magis venenum, minusque ad expellendum citetur archeus. Inuigilandum hic est saluti & vitæ, donec dispalescant grauantes spiritus vapores, & sudore peracto inuitetur magis, adeoque non prius ineundus facile.

Excreta & Retenta suos teneant terminos. Sudor non deficiat, nec excedat tamen, inprimis quoad spiracula solennia, sub axillis & inguinibus. In sudore enim & quiete vna salus est.

Animvs componatur ad libertatem, absit intempestiuus timor terrorque, forti animo superandus est leuis sic futurus morbus.

Reliqua, quæ hic desiderari queant, partim sollicitudini magistratus & directioni medico-politicæ relinquenda sunt; partim ex iis, quæ de peste abunde prostant, suppleri debent.

SOLI DEO GLORIA.

Gloria sudorem sequitur, præcedit honores,
Anglicus in Cathedra sudor, Amice, tuos.
Sic sudasse juvat, dum Te sudore probasti
Sudasse in studiis: præmia sudor habet.
Perge bonis avibus, Levpold, sudare, juvabit
Sudasse in praxi: Gloria sudor erit.

Nobilissimo Dn. Doctorando
hisce adplaudere voluit
RVD. WILHELMVS CRAVSIVS, Phil. & Med. D. P. P.

Cui

CVi labor & ſudor cordi eſt, ac integra cura,
hunc virtus & honos condecorare ſolet.
Humor ſudatus, ſtudiis impenſus amœnis,
Ingenium ſolers ducit ad alta Tuum.
Aſt poſt, quam laticem funeſtum exponere gaudes,
Phœbus ſudorum præmia digna parat.

Nob. Dn. Doctorando, Paternæ & Avitæ virtutis hæredi, maternæ gaudio, glorioſam familiæ ſplendidæ acceſſionem, ac divinam benedictionem ex animo gratulor

PRÆSES.

SUdores placuit raros inquirere docto
Orbi, dum ſpecimen vis ſiſtere mentis acutæ,
Ex quo præclare documenta per ardua conſtat,
Quanta ſit ingenii veneranda ſcientia culti.
Ut plauſum merito magnum labor inclytus affert,
Sic monſtras, quantis & tu ſudoribus olim,
Arcana in ſtudiis luſtraveris omnia noſtris.
Suſcipe nunc doctæ clariſſima præmia frontis;
Et ſolers ſtudiis perge inſudare profundis;
Sic tandem ingenio decus immortale reſurget.

Ita vovet ex animo Nobiliſſ. & Clariſſimo Dn. Doctorando, Fautori & Amico ſuo honoratiſſimo, meritiſſimos honores gratulaturus

JO. HADR. SLEVOGTIUS, D.
Anat. Chir. & Bot. P.P. & Med. Duc. Provinc.

WAs in dem Cabinet durch Leſen iſt geſchehen/
Von dieſem läſſet ſich bereits die Probe ſehen.
Es äuſſert ſich ein Schweiß /der gute Hoffnung giebt/
Und dieſer Arbeit Kunſt macht dich nach Wunſch beliebt.
Wohl dir/ du wirſt den Zweck nunmehro auch erlangen/
Darnach du iederzeit mit Freuden biſt gegangen/
Die Hoffnung äuſſert ſich; die Curen ſchlagen an/
So hat mein Wundſch/und du das ihre recht gethan.

Hiermit wolte ſeinem Bruder glückwünſchen
Rudolph Leupold/Phil. Stud.